



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsiones Scriptæ A Philippo Melanthere Ad Impios Articulos Bauaricæ Inquisitionis

Melanchthon, Philipp

Vvitebergæ

VD16 M 4171

XVIII. An consecratio Sacramenti ualeat facta per non ordinos ab
Episcopis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-36288

AD XVIII.

*An consecratio Sacramenti valeat,
facta per non ordinatos
ab Episcopis.*

Respondeo perspicuè, Ordinationem Ministrorum Euangelij iustam esse in Ecclesijs nostris, iuxta dicta Pauli, ad Titum 1. Constituas in urbibus Presbyteros, sicut ordinaui: Et 2. Timoth. 2. Hæc commenda fidelibus hominibus, qui sunt idonei ad docendos alios. Nec dubium est, filium Dei & conseruatorem esse ministerij Euangelici, & in Ministerio efficacem esse, ubicunq; est coetus rectè docens Euangelium, iuxta dictum: Sedet ad dexteram æterni patris, dans dona hominibus, Pastores & doctores. Et Iohannis 15: Ego sum uitis, uos palmites, Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum copiosum. Hæc tota concio utrunq; confirmat: Et solum hunc coetum esse Ecclesiam Dei, in quo uox Euangelij est incorrupta: Et in eo coetu adesse Filium Dei, & ibi efficacem esse. Et quidem corda piorum, quæ ueras consolationes sentiunt, testantur filium DEI in ministerio Ecclesiarum nostrarum efficacem esse, iuxta hæc

hæc dicta: Accepistis spiritum adoptionis filiorum.
clamantem Abba Pater. Item: Sustinuit anima mea
in uerbo eius, sperauit anima mea in Domino.
Item: Euangelium est potentia DEI ad salutem
omni credenti. Item: Iustificati fide pacem habemus
apud Deum.

Tenebant partem ministerij Pontifices &
Pharisæi in Iudæa per Tyrannidem, uidelicet Cir-
cumcisionem. Doctrinam uerò & sacrificia cor-
rumpebant. Interea tamen DEVS efficax erat
uoce doctrinæ, quam sonabat uera Ecclesia, Za-
charias, Simeon, Elisabeth, Anna, Maria, & similes.
Ita nunc Pontificij retinent Baptismum. Doctri-
nam uerò & Cœnam Domini horribiliter cor-
rumpunt. Sed doctrinam Euangelij incorruptam,
& usum Sacramenti institutum Ecclesiæ nostræ
retinent. In his adest filius Dei, & est efficax in
ministerio instituto, sicut inquit: Ego sum uitis,
uos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic
fert fructum copiosum.

Scio autem, atrociter declamare Pontifici-
os, non fieri consecrationem ab ijs, qui non sunt or-
dinati ab Episcopis. Deinde non esse Episcopos.
nisi confirmatos à Romano Episcopo. Hæc κακο-
ζηλία, Papistica refutatur etiam exemplo Orienta-
lium Ecclesiarū, quarum extat Epistola in 5. libro
Theodoretī,

Theodoret, in qua scribunt, Non oportere peti confirmationem à Romano Episcopo, sed satis esse, electionem fieri ab Ecclesia eius loci, adhibito uicino Episcopo uno uel pluribus, iuxta Synodi Nicenæ decretum.

Postremo quæ amentia esset, nostros ab ijs petere ordinationem, à quibus, si ad eos accederent, interficerentur?

XIX.

An credant, Tres esse partes Pœnitentiæ: Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem.

Planè respondeo, Enumerationem delictorum nec partem Pœnitentiæ, nec necessariam esse.

De Canonicis Satisfactionibus, quas Aduersarij nominant opera indebita, Respondeo, Eas non solum non esse partem pœnitentiæ, sed etiam falsos cultus, Et aduersarios affingere multos errores, quorum comprobatio est impia.

Ita simul responsum est de sequentibus duobus Articulis. Nec ipsorum delictorum, nec circumstantiarum enumeratio necessaria est, Nec satisfactio, quam nominant opera indebita, utilis est, Et ut Monachi eam declarant, est contumeliosa aduersus satisfactionem filij Dei.

Cum